

omnis substantia naturalis est mobilis; omne corpus naturale substantia est; ergo omne corpus naturale est mobile; vel omne quod constat materia & forma, aut parte perfectibili, & perfectiua est ens mobile; omne corpus constat huiusmodi extremitatibus; ergo est mobile; ergo mobilitas non potest esse obiectum formale philosophiæ naturalis in primo sensu accepto.

19 Et vt magis elucescat posita doctrina, exemplum sit in colorato, siue in colore; color enim est obiectum formale potentia visua, & ens, vt subest coloribus, est obiectum materiale, non alia ratione, nisi quia color tantum habet connexionem cum ente colorabili, vt sit primum principium demonstrandi omnes passiones colorati, ita quod a priori ipsa per aliam rationem formalem demonstrari non valeat, quamuis sic a posteriori, quod non est contra me, vt attentè legenti patet.

20 Ostendo nunc conclusionem quoad secundam partem, videlicet, prout mobile dicit principium motus, quod non potest esse obiectum formale physicae. & ratio est quia idem est dicere corpus naturale, ac principium motus, nam secundum Aristotelis sequaces secundo physicorum, text. 4. natura est principium motus, & quietis; ergo si corpus naturale, seu habens naturam non potest esse obiectum formale physicae, nec corpus mobile esse poterit; tum etiam quia, magis explicat passiones physicas substantia naturalis videlicet tria elementa modo dicendo considerata quam ens mobile, aut aliquid aliud, cum illa non solum motionem, verum & quietem demonstrant; ergo ens mobile à ratione physiologiae scientiae excludi debet.

21 Concludo tandem contra Thomistas, dicendo quod si quis quærat, quid est obiectum logicae per me, cum veritate respondendum est; est vox habens rationem figuræ logicalis, prout dixi in logica de eius obiecto; quia figura conuenit illi vt vox est, & ideo omnibus vocibus esse obiectum conuenit, prout voces sunt: ita quærenti, quid est obiectum physicae, debemus respondere, est id, cui conuenit mobilitas per se [ dato quod mobilitas sit obiectum formale; atqui mobilitas non conuenit enti per se, vt supradictum est n. 17. cum magis late pateat ens, quam mobile; ergo ens mobile non est obiectum formale physiologiae. quod erat meum intentum cum probabilitate demonstrare, absque præiudicio aliorum in contrarium sentientium, non enim tantum gloriam propriam quærerere debemus, sed no-

*S. J. P. de Palu de Corone*